DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

EXHIBENS

HEMITRITÆVM

SIVE

TERTIANAM MALIGNAM,

GRAVISSIMAM ET VEXATISSIMAM COMPOSITARVM FEBRIVM SPECIEM.

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,

VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

GRATIOSO MEDICORVM ORDINE IN HAC PERANTIQVA HIERANA INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. FACVLT. MEDIC. SENIORIS, ET PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAL. ISENAC.

PATRONI, PROMOTORIS ATQVE HOSPITIS SVI SVMMOPERE DEVENERANDI,

PRO GRADV DOCTORIS

ATQVE PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS HVIC DIGNITATI COMPETENTIBVS LEGITIME OBTINENDIS,

PVBLICÆ ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTET


AVTOR

HEINRICVS DANIEL Aßmann / *Lignicens. Siles.*

DIE XXVII. APRILIS ANNO M DCC XXVI.

IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



PROOEMIVM.



Anta ſanè tamque ingens eſt morborum genus humanum miſerrimè affligentium varietas, ut, qui omnes & ſingulas ipſorum ſpecies ſpecialiſſimas, ſub peregrinâ ac milleformi ferè ſymptomatum larvâ plus ſimplici vice occurrentes & recurrentes, recenſere velit, merito ſtellas poli guttasque pelagi dinumerare, aut rem omnino infinitam emetiri videatur. Quanquam enim, â primis artis noſtræ incunabulis ad hæc usque tempora, omnis fermè ætas ſtudii & ſtadii Medici in exploranda ipſorum diverſa indole vel maxime occupata fuerit, nec adhuc etiam deficiant Viri ſolertiſſimi & acutiſſimi, qui & colligendis & cum publico communicandis innumeris pariter obſervationibus, totos ſeſe mancipaverint; nondum tamen vaſtiſſimum illud exhaurire licuit mare, quin indies plures & inauditas addendi ac producendi ampliſſima procedat occaſio.

Talem vero præ omnibus aliis admodum fœcundam subministrat inprimis prolixa FEBRIVM classis, quæ numerosissima non solum, sed & dirissima insuper ac sæpius periculosissima nobis offert morborum schemata, ut propterea quoque solam hanc non inepte Medici phrontisterium atque palæstram nuncupare liceat, quoniam inexhaustarum semper dives est novitatum, in quarum dilucidatione judicii & experientiæ vigorem optime exercere potest sedulus Hippocratis alumnus. Hic enim invenies ægrotantes quamplurimos, modo de insolito frigore & totius corporis horrore, citra causam aliquam externam, conquerentes, modo sub ferventissimo æstu sitique plusquam Tantalea miserrime sese excruciantes, modo gravissime delirantes, modo denique aliis pariter horrendis symptomatibus simul laborantes & Proteiformi sævissimarum calamitatum vicissitudine Medicis ipsis haud raro imponentes, quorum tortura propterea non per unam saltem septimanam durat, sed in multos sæpe menses protrahitur, & raro admodum, nec semper ex voto medicamentis iterum deliniri potest.

Inprimis autem illas *febrium* species propterea maxime reformidamus, quæ inter initia levissimis semper signis ac symptomatibus suam occultant malitiam, ut difficillime dignosci queant, postmodum vero, ubi tuta ac secura omnia putantur, statim funeste decurrere ipsamque repentinam mortem introducere solent, ac ita *malignarum* titulum merito obtinent, quoniam non solum generi humano gravissime insidiantur, sed maximam insimul mortalium stragem quoque infe-

inferunt, idque eo magis, ubi fortaſſis *complicatæ* & ex aliis itidem perniciofis morbis *compoſitæ* fuerint: Tales enim Theoretico non folum in inveſtigatione, ſed & ipſi Practico Medico in curatione moleſtiſſimas utplurimum objiciunt difficultates, omnesque corporis humani actiones usque adeò confundunt & turbant, ut nullum ferè recreationi relinquatur momentum.

Quoniam igitur ex harum cœtu atque numero ipſe quoque HEMITRITÆVS, five ita dicta *Tertiana maligna*, eſt, ejusque natura & indoles non modo olim, ſed & adhuc ſatis intricata deprehenditur, Medicumque pariter ac medicamenta haud ſimplici vice perfecte eludit; hinc placuit, conſenſu GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ in ejusdem genium & cauſas penitius inquirere, brevemque ſimul curandi methodum adjicere & omnia circa rariorem hunc morbum occurrentia ſymptomata in *Diſſertatione Inaugurali* publicè breviſſimis exponere.

Deum autem T. O. M. antea ſupplex humilisque veneror, ut conatibus hiſce leviſſimis ex alto benedicere, eosque in proximi ſemper ſalutem quam clementiſſimè dirigere dignetur.

§. I.

HEMITRITÆI nomen à Latinis quidem hactenus uſurpatum & apud plerasque gentes retentum, non latinum tamen ſed græcum origine ſuâ eſt, ex vocabulis ἡμισυς *ſemis* & τριταῖος *tridiius* ſeu *tertianus*, compoſitum, hincque unico aliis vocabulo *ſemitertianæ* ab aliis expreſſum; quoniam ratione originis ex mixtura Tertianæ Intermittentis, & quotidianæ continuæ oritur, & totius

 na-

naturæ suæ partem dimidiam utramque prædictarum febrium habet, ita ut tota natura sua confundantur, & accessionibus permisceantur; hinc schema cujusdam morbi *mixti & compositi* exhibet, insimulque Tertianæ Malignæ ob vehementiam & periculum, denominationem obtinet. Est enim communiter mali imò pessimi moris, hæc febris & licet exquisitum quidem non ostendat contagium, nec semper epidemica evadat, aut, pagos & urbes depopulando, stragem violentam exercere & cœmeteria saginare intendat; tamen multifariis aliis iisque satis vehementibus anomalis, imò plane periculosis communiter stipata est symptomatibus, quibuscum tyrannidem suam in miseri hominum corpora exercet, tantasque simul in ipsâ etiam Therapiâ involvit difficultates, ut omnium *compositarum febrium gravissima* propterea optime dici mereatur; nec Germanorum etiam denominatio rejicienda, quâ ipsam ein hitzig-dreytägiges Fieber/ vel ein böß artig hitzig dreytägig Fieber hactenus appellare sueverunt. Plura qui de Etymologia horum vocabulorum desiderat, GALENUM *Lib. II. de differ. febr.* & *Lib. de Typis*, AGATHINUM *in Lib. de Semitertianâ*, RONDELETIUM *Tr. de febribus curandis, cap. proprio de Semitertianis* & AMATUM LUSITANUM *Cent. III. curat. 95.* evolvat.

§. II.

Differt autem hæc febris tum in se spectata, tum quoque in relatione erga alios ejusdem generis morbos considerata, vario plane modo; in se enim alia *est exquisita*, alia *minus exquisita*: Prior, de quâ etiam hic loci potissimum sermo erit, ex *febre tertiana intermittente & quotidianâ continuâ*, æqualiter inter se mixtis & compositis, oboritur, atque horrorem non semper intensum nec adeo diuturnum, sed, intermediis præprimis diebus, brevi transeuntem, exhibet, æstum vero evidentiorem & immoderatiorem, sitimque fere inextingvibilem, sub gravissimis capitis doloribus, mentisque alienationibus infert, jugiter insuper & absque ullâ fere remissione continuat ac tandem citius

tius non solum ad statum pervenit, sed simul quoque cum excretionibus biliosis ut plurimum terminatur; posterior vero, quam *improprie* tantum *semitertianam* vocârunt veteres, ex quotidianâ intermittente & tertianâ continuâ, inæquali proportione, sibi junctis, communiter constat, ita, ut tam quoad symptomata, quam quoad causas, magis ad indolem intermittentis, quam continuæ, accedere videatur, atque hac ratione quotidianam intermittentem perfectè prædominantem & per tertianam continuam leviter tantum excitatam, sistat, causamque simul magis pituitosam, quam biliosam, referat; hinc cum exquisito semper & graviori horrore incipit, leviorem vero æstum, sitim & agrypniam inducit, citius remittit, citiusque iterum redit, pluresac magis ordinatos paroxysmos producit, & demum excretiones mere pituitosas superinducit. Verbo: *Exquisita semitertiana* indolem continuarum in omnibus circumstantiis magis refert, sed simul periculosioribus atque gravioribus symptomatibus stipata est; *spuria* autem, sive *minus exquisita*, ad intermittentium genium propius accedit, crebriores tamen paroxysmos format, & difficilius quoque curatur.

§. III.

Proinde differt etiam *Hemitritæus* exquisitus quoad *gradum & magnitudinem*, atque hujus ratione distingvitur in *exiguum sive minorem, medium & magnum*: *Minor* juxta GVAINERIVM, levissimus est, & periculosi fere nihil portendit; adest enim in ipso molesta tantum capitis gravitas, & ad somnum perpetua dispositio, â quo si evigilant patientes, stuporem quendam in moralibus & vitalibus actionibus persentiscunt, ac propterea, si inprimis temperamentum torpidum concurrat, interdum ad affectus comatosos, & præcipuè *Lethargum*, inclinant, teste FORESTO *Lib. 5. Observ. 18. in Schol.* In paroxysmo, ab ipso communiter per 24. horas subjecta talia detinentur, paucus tamen sentitur æstus, sed prævalet frigus; Urina est subruffa, spissa & livi-

da,

da, alvi fecessus inconstans & per intercedentes vomitu
bilioso-pituitosos quodammodo turbatus, reliqua omni
vero satis placida observantur.

§. IV.

Medium quod attinet *Hemitritæum*, ille omnia quiden de minori jam jam recensita symptomata, sed in vehemen tiori paulo gradu exhibet, atque insimul diutius durat, si quidem ipsius paroxysmi vix intra triginta sex horas finiun tur, majorique semper æstus fervore subjecta sua torquent Magnus tandem omnium sævissimus existit & periculosis sima semper consectaria inducit; rarior quidem est, sed gravitate suâ hanc raritatem compensat, dum sæpissime fu nestum sortiri solet eventum, præprimis si tempore pesti occurrat, ubi ipsum ferè semper lethalem observavit BENEDICTUS FAVENTINUS *in Empirica sua*, ut propterea quo que merito *Tertianæ malignæ* titulus ipsi præ aliis competat siquidem etiam de eo inpræsentiarum specialissime nunc agere constituimus.

§. V.

Magnus autem hic *Hemitritæus*, licet ipse sit morbus quidam *compositus*, tamen ab aliis sui generis compositis morbis vel maxime differt, & quidem speciatim â *Tertiana continua*, cujus indoli alias proxime accedit, (1) sese distingvere solet *paroxysmorum duratione* qui in hâc nullam plane intermissionem servant, dum æstus præternaturalis ab unius paroxysmi fine semper usque ad alterius novi initium jugiter continuat; tum exacerbatio tertia quoque die contingens, aut rigore sine horrore periodico fit: in Hemitritæo autem ad aliquot horarum spatium manifeste remittit, sed simul etiam diutius continuat, & ad quadraginta octo horas haud raro protrahitur, reduplicato postmodum horrore novam febris accessionem significante (2) quoque differunt ipsâ *origine* dum tertiana continua ex duabus *simplicibus*, intermittente nimirum & acuta, Hemitritæus vero ex *simplici* & *composita*, sive intermittente & continua putrida communiter coalescit; (3) discrepant *sympto-*

ptomatum gravitate, quæ ſemper in Hemitritæo pejora ſunt, quam in continuâ, prout ex proxime ſubſequentibus theſibus hoc patefiet; (4) denique diſtingvuntur *eventu*, qui in Hemitritæo, propter ſævitiam aliorum accidentium, magis periculoſus atque funeſtus eſſe ſolet, quam in tertiana continuâ.

§. VI.

Pariter quoque facili negotio idem noſter morbus diſtingui poteſt â *tertiana duplicata*, partim ratione *conditionis* & *qualitatis* paroxyſmorum, qui non ſinguli, ſed tantum alterni ſibi reſpondent in duplicatâ, cum contra in Hemitritæo omnes æquales, atque inſimul longe vehementiores ac diuturniores ſint; 2.) etiam inter ſe differunt hi affectus, ratione *recurſus* paroxyſmorum: Noſter enim Hemitritæus altero ſemper die, ubi ſola fere quotidiana continua ſcenam ſuam ludit, remiſſioris indolis eſt, tertio vero, ſi intermittentis tertianæ impetus accedat, gravior omnino redditur & ita usque ad primum iterum diem per quadraginta octo horarum ſpatium continuat, & in hoc demum aliquantulum remittit; duplicatæ autem tertianæ paroxyſmus ſingulis diebus recurrit & breviori inſuper ſpatio terminatur. Taceo, quod Tertiana duplex ſit de genere intermittentium; Hemitritæus vero de genere continuarum, quæ tertio quoque die exacerbantur, cum graviorum malorum acceſſu.

§. VII.

A *Cauſo* denique differt Hemitritæus partim quoad *exacerbationes*, partim vero quoad *evacuationes*; Illæ enim in Cauſo plane *continuæ* ſunt, & cum ſumma præcordiorum auxietate inſimul ſitim ita dictam clamoſam, cardialgico-lipothymica mala ſæpiſſime excitantem, atque ardorem vehementiſſimè urentem, ventriculi regionem inprimis infeſtantem, exhibent; in Hemitritæo vero æſtum non niſi extraordinarium, Cephalalgiam pertinaciſſimam, aliaque ab his maxime diverſa ſymptomata introducunt atque altero ſemper die, ad aliquot horarum ſpatium, re-

mittunt, ita ut quasi intermittere videantur, & ita longe alias insuper *causas*, quam quidem in priori isto morbo occurrere solent, necessario agnoscunt. Pari modo etiam diversi sunt hic affectus quoad *excretiones*, quæ in *Causo* ut plurimum plane planeque suppressæ sunt, ita ut alvus vel plane adstricta sit, nullaque ad vomitum propensio unquam observetur, sed materia peccans & noxia conclusa potius detineatur; in Hemitritæo autem tales semper fere libere succedunt & materiam bilioso-pituitosam modo per vomitum, modo etiam per alvum, cum insigni ægrotantium emolumento, ordinarie excludunt.

§. VIII.

Ast, objiciet nunc aliquis, Hemitritæum ad minimum speciem quandam *febrium biliosarum* esse, quoniam eandem cum ipsis causam, easdem excretiones, imo eosdem fere paroxysmos exhibere videatur, horumque intuitu totus ad hancce Classem referri mereatur. Huic vero respondemus, adesse quidem aliquam inter hos affectus convenientiam, sed non ita exactam nec omnibus numeris absolutam: *causa* enim *materialis* utrorumque in tantum eadem, nempe *bilis*, est, sed biliosæ febres talem magis sinceram atque puram, Hemitritæus vero cum pituitâ aliisque impuritatibus commixtam exhibet, ut ita in totum adhuc circa ipsam differant; sic etiam excretiones aliquo modo in illis variant, dum ægrotantes sub *febre biliosa* communiter sinceram bilem eamque causticam, fauces arrodentem, excoriantem, raucedinem inducentem, dentes stupefacientem, & cum pavimento calcario aut nuda etiam terrâ effervescentem, evomunt atque dejiciunt; in Hemitritæo autem saburram tantum biliosam multâ pituitâ interspersam, nullumque propterea arrosionis sensum inferentem, ordinarie excernunt; hinc quoque ipsi horum affectuum paroxysmi itidem inter se discrepant, dum in febribus biliosis non solum continui, sed insuper quoque æquales sunt, & unum eundemque gradum afflictionis servant; in Hemitritæo vero tertio semper

per die magis insolescunt atque insimul plura & periculosiora symptomata tunc secum vehunt. Nec obstat, quod ipsa *febris tertiana intermittens*, ex quâ affectum nostrum compositum esse novimus, jamjam ab Antiquioribus, ipsis biliosis annumerata fuerit, cum tale quid sine omni fundamento & ratione factum esse, ipsa experientia saniori judicio suffulta satis superque commonstret.

§. IX.

Præmissis nunc iis, quæ ad differentiam affectus nostri spectare videbantur, ne speciosa nominum veneratione res ipsas negligamus, ad intimiorem Hemitritæi lustrationem pergimus, quam â *Diagnosi* merito ordimur. In genere igitur omnia illa signa, quæ alias tertianam intermittentem comitantur, etiam semitertianæ nostræ conveniunt, teste GALENO *Lib. de Typis*, quoniam eandem fere causam materialem agnoscunt, & ipse Hemitritæus quandoque â tertianâ productâ & lentescente oboritur, atque, si solutus sit, facillime iterum in talem tertianam degenerat; ast, ob conjunctum simul quotidianæ continuæ typum, alia insuper specialissima symptomata infert. Hinc invadit communiter cum horrore & rigore insigni, summo mane se se manifestante, ac per plures horas indesinenter continuante, plurimumque cum vomitu biliosæ, nigricantis ac pituitosæ saburræ terminante; huic succedit dein æstus satis vehemens & duplo diutius fere affligens, cum frequenti inhorrescentia, unde etiam HIPPOCRATI *I. Epid S. I.* φρικώδης s. horrifica dicitur cum lingvæ & oris molestâ siccitate, siti aucta, sapore amaricante in faucibus, vigiliis continuis, anxietate præcordiorum, doloribus capitis, speciatim vero frontis, aurium & temporum molestissimis, una cum surditate gravissima, conjunctus. Adest agrypnia extraordinaria, mentis alienationes atque deliria haud raro insimul excitans & per totam primam noctem ægrotantes gravissime detinens, & tandem circa meridiem secundi diei aliquantisper remittens.

B 2 §. X.

§. X.

Hac vero exoptatiſſima remiſſione per breve admodum temporis ſpatium fruuntur patientes, quoniam per actis vix duabus vel tribus horis novo quodam paroxyſmo infeſtantur, qui, quotidianæ continuæ typum maxime ſervans, cum frigore leviore ac breviore incipit æſtumque dein pariter ſatis moderatum, cum anguſtia tamen aliquâ præcordiali, virium inſigni proſtratione, capitis temulentia, appetitus plenaria proſtratione ſitique extraordinariâ conjunctum, inducit, nec unquam prius niſi tertio die circa diluculum remittit, profluente tunc ſudore paulo copioſiori, omniaque præcedentia ſymptomata notabiliter imminuente, ut ita in remiſſiori tali ſtatu patientes iterum aliquot horas tranſigere poſſint, donec prior paroxyſmns tertianario-quotidianus de novo accedat ipſoſque iterum ſolito more graviſſime exerceat.

§. XI.

Tali igitur ratione â tertio ad tertium diem ſemper nova formatur hujus febris acceſſio, & quilibet paroxyſmus ad quadraginta ſex horas ad minimum protrahitur, ita tamen, ut circa initium, per totum plane primum diem, gravioribus longe ac periculoſioribus ſymptomatibus ſtipatus ſit, quam reliquo tempore, quia tunc tertiana & quotidiana febris ſimul concurrunt & patientes affligunt, intermedio autem die ſola quotidiana continua quæ alioquin ſemper remiſſior eſt, ſcenam ſuam ludit. Hinc ſæpiſſime primis iſtis acceſſibus ſæviſſima quoque alia interdum junguntur accidentia, veluti graviſſimæ hyperemeſes aut hypercatharſes maxime bilioſæ, partium nervoſarum convulſiones atrociſſimæ, virium reſolutiones lipothymicæ & ſyncopticæ, lipyria, linguæ nigrities & ariditas aliaque truculentiora pathemata, quorum intuitu febrem hancce merito *malignam*, omniumque compoſitarum *graviſſimam*, ob typum ejusdem undecunque valde periculoſum, appellare poſſumus, de cujus etiam tyrannide

nide Obſervationes Foresti, ſpecia tim vero *Lib. V. Obſerv.* 15. 16. 20. & 21. triſtiſſima ſiſtunt exempla, quin imo, ipſa quoque tertiana exquiſita interdum Semitertianæ huic ſupervenire, & tunc febris cujusdam intricatæ maximeque confuſæ ſchema exhibere ſolet, qualem non ſolum Galenvs *Lib. II. de Criſibus cap.* 9. & ex eo Campegivs *in campis hiſtorialibus Galeni*, ſed & prædictus Forestvs *l. c. Obſerv.* 17. accurate delineatam nobis ſiſtunt.

§. XII

De reliquo *pulſus* per totum hujus febris decurſum eſt magnus & frequens; *Urina* in principio rutilantem vel aurantium colorem refert, atque inſimul mediocriter tenuis eſt, in ſtatu vero turbida & craſſior apparet, & in ſuperficie aliquid nigredinis aut viridiuſculi exhibet, in declinatione vero ſedimentum tenue mucoſum deponit, & tunc ad naturalem colorem & conſiſtentiam denique redit. *Subjecta* interim, quæ huic febri plus expoſita ſunt, varia utique dantur; ratione *ſexus* enim, virilis, ratione *ætatis*, juvenilis & adoleſcentilis, ab anno decimo quarto ad trigeſimum circiter, maximam ad talem morbum habent diſpoſitionem. Quoad *vitæ genus* inprimis illi, qui vitam otioſam ac ſedentariam agunt, & diætæ lautæ atque vinoſæ adſveti ſunt, aut ad hanc ex laborioſo & duriori vivendi genere tranſeunt, veluti mercatores victum prius curſitando quærentes, poſtea vero, ubi ditiores facti ſunt, ab exercitiis & laboribus deſiſtentes totosque ſeſe quieti & otio tradentes, aut ipſi etiam Baccho frequentius litantes, potulentisque ſpirituoſis ſeſe inebriantes, præ reliquis in Semitertianam, ſunt propenſi; quemadmodum Eccleſiaſticorum, Nobilium, Aulicorum, Juvenum, Otioſorum, opipare viventium exemplo conſtat. Quibus porro accenſendi calidas regiones inhabitantes, & qui longa morborum afflictione tonum ventriculi proſtratum, crudosque & indigeſtos humores intra primas vias congeſtos habent, unde cacochilia putris ad motus febrilis valde proxa ſubnaſcitur.

§. XIII.

Temperamentum porro quod attinet, inprimis Cholericis & Cholerico-Melancholicis infensus solet esse hic morbus, tanto magis, si affectibus aliis biliosis jam adsueti sint tales, & vitæ genus motui assuetum in tranquillum mutaverint, id quod inter alios expresse testatur SAVANAROLA, his verbis: *Qui enim consuetus est bilem multiplicare, & biliosas pati ægritudines, ratione sui temperamenti & regiminis vivendi, & se convertit ad aliud regimen, pituitam coacervando, hic in Hemitritæon incidit. Exempli gratia, quando quis biliosus ac pauper, utens cibis acutis, seque vigiliis consumat, laboribus & exercitiis sese emaciet & inediam patiatur, ut ad statum excellentiorem perveniat; postmodum vero ubi talem nactus est, quiete & otio utatur, cibisque multis & diversis ferculis pituitam gignentibus, per viam indigestionis plus solitò sese replens, lautiusque vivens, talis ut plurimum in Hemitritæum labitur.* Ratione *temporis* denique, *autumnale* præ reliquis producendo huic morbo quam maxime favet, non exclusis tamen vernali & æstivo, si præprimis humido-calida aeris intemperies in ipsis prædominaverit; sic etiam *tempore pestis* sæpius occurrunt tales Febres, testimonio FORESTI *l. c. Obs. 19. in Schol.* & tunc juxta BENEDICTVM FAVENTINVM in §. IV. jamjam citatum, pejoris semper, imo lethalis plane indolis esse observatur.

§. XIV.

Proposita sic brevibus morbi *historiâ* atque *diagnosi*, operæ pretium nunc erit, ut in ipsius causas & originem specialem inquiramus, atque *Ætiologiam* phœnomenorum hactenus recensitorum exhibeamus. Non placet autem morosius immorari recensioni & refutationi istarum sententiarum, quas Veteres Medici passim de bile intra venas, & pituita extra ipsas putrescentibus, aut cum humore melancholico sese commiscentibus febremque talem intricatam postmodum producentibus, adducunt, quoniam solis tantum præjudiciis superstructæ sunt; sed nostram statim de genuina hujus affectus origine & fundamento demonstrabimus opinionem, ne inutilibus verborum litigiis

bre-

breviſſimas haſce pagellas tantum adimplere, & ſolidiora negligere velle videamur.

§. XV.

Cauſam igitur *materialem* hujus febris conſtituit primario Maſſa ſanguinea in *quantitate* & *qualitate* depravata, ſecundario autem *ſaburra* quædam viſcida, mucido-bilioſa & ſemi-digeſta, circa primas vias ut plurimum hærens atque chylificationis negotium eximiè turbans, aut in vaſis etiam meſeraicis ipſisq; Vena Portæ viſceribusque quæ tranſit, ob febrem priorem, juſto citius ſuppreſſam turbatamque, adhuc reſtitans & motum ſanguinis circulatorium graviſſime retardans. Talis autem peccans materia, cum tam diverſæ ſit conditionis atque indolis, utique diverſos quoque motuum gradus, ſi perfectè eliminari debet, requirit: *Quantitas* enim ſanguinis *ſuperflua*, ſi imminuenda eſt, non niſi per motus auctiores ſuccuſſatorios, orgaſticos & conquaſſatorios reſolvi atque in ſerum converti debet, qui, ſi debito ordine & modo â Naturâ applicantur, communiter typum continuæ febris formant & inducunt: *Qualitate* autem depravatus hic *humor*, ubi præprimis vitium tale ex primis viis â craſſiore quadam ſaburrâ prægravatis, contraxit, vix unquam alio modo repurgari poteſt, niſi motibus febrilibus reſtrictoriis alternativè repetitis, auctiorem ejusdem progreſſum ipſosque actus ſe- & excretorios, vegetè promoventibus & facilitantibus, typumque intermittentis cujusdam febris exprimentibus.

§. XVI.

Hinc Natura, provida iſta corporis ſui medicatrix, (quæ *efficientem* ſimul gravioris hujus morbi *cauſam* repræſentat,) ſi ſanguinis ſinceri pariter atque aliarum craſſiorum impuritatum copia prægravata ſit, & â ſingulis hiſce moleſtis materiis fragile ſuum domicilium repurgare intendat, neceſſario intermittentem & continuam febrem, pro obtinendo iſto ſcopo, conjunctim excitatas, in ſubſidium vocare cogitur, & quidem eo præprimis ordine, ut, ob Plethoram manifeſtius urgentem, continua typum *quotidia-*

num

num, intermittens vero *tertianarium* assumat, ex quo deinde fit, ut patientes â tertio ad tertium diem semper *completum* & graviorem, inter mediis vero diebus *in completum* ac leviorem experiantur paroxysmum, quoniam tunc tertiana & quotidiana simul, his vero sola quotidiana, consuetas suas solent formare exacerbationes.

§. XVII.

Duplex autem talis respectus & intentio principii nostri vitalis, sanguinem abundantem imminuendi & depravatum corrigendi atque depurandi, *formalem* hujus morbi causam sistit, ipsumque insimul graviorem ac diuturniorem reddit: Multiplicati enim fines semper majores involvunt difficultates, pluribusque expositi sunt impedimentis, quam simplices, & propterea morbum vel justo diutius protrahunt, vel plus, quam par est, exasperant, præprimis si alia insuper causarum genera ultro sese ipsis conjungant. Sic ex *causarum occasionalium*, & quidem *remotarum* classe huc accedunt *ætas*, *temperamentum* & *sexus*, quæ noxiam istam plethoram non solum frequentius generando, sed & saburram bilioso-mucidam coacervando, sicque primis viis gravissimas injurias inferendo, non parum ad affectus hujus periculosi provocationem contribuunt. *Propinquiores* vero causas ipsum *anni tempus* & subjectorum ægrotantium *vitæ genus* præ aliis maxime sistunt; Illud enim ob consuetam humido calidam aeris intemperiem, autumnali tempore maxime conspicuam, se- & excretionibus ordinatis non solum gravissima solet objicere impedimenta, sed & ad exagitandam & orgasticè commovendam præsentem jamjam plethoram, multum insuper contribuere, atque Naturam ad introducenda ejusmodi febrium schemata excitare; hoc vero ob insignes, qui in *moralibus* pariter atque *vitalibus* committuntur errores symbolum suum itidem vel maximè huc confert: *Animi* enim *commotiones*, præsertim iracundæ, ante, sub vel post pastum perpessæ, non solum orgasticas sanguinis jamjam superflui ebullitiones producunt, sed ipsas quoque primas vias impuri-

puritatibus multis biliosis & crassioribus mucidis inquinant, ut ab his demum & ab Orgasmo sanguinis prægravata Natura, vix alio quodam modo, nisi per febrem ejusmodi mixtam sibi consulere suumque corpus ab interitu imminenti vindicare queat.

§. XVIII.

Inprimis autem vitia circa *diætam* commissa morbum istum vel maxime accelerare & augere solent, chylificationis nempe negotium extreme turbando & lædendo atque insignem variarum impuritatum copiam ad M. S. transferendo, sicque crasin ipsius in totum depravando; hinc, quisquis etiam fuerit, rectè tamen dixit: *Intemperantia nutrix Medicorum!* Huic enim qui favent, utplurimum non solum citius in manus Medicorum incidunt, sed sæpissime quoque proprii corporis interitum accelerant, juxta tritissimum illud:

Ense cadunt multi, sed perimit crapula plures.

Exempla hujus rei permulta in promptu sunt, pluresque tales gulosi quotidie occurrunt, qui genio depravato indulgentes corpusque totum vino implentes, aut prægressam febrem leviorem spirituosi hujus liquidi madore suffocantes, tandem gravissimo tali Hemitritæo obruuntur, testimonio illius juvenis, cujus Semitertianam, sævissimis accidentibus stipatam, sæpe laudatus FORESTUS *in Lib. V. Observ. 15.* fusius descripsit. Pariter quoque res sese habet cum otiosis & pigritiæ studiosis, qui si cibis lautis & pinguioribus insuper utantur, laborem vero omnem in totum aversentur, bilem non minus quam sanguinem adaugere, sicque gravissimo huic morbo fomitem aptissimum subministrare solent.

§. XIX.

Prognosin denique quod concernit, illa in morbo tam ancipiti, vix alia, quam anceps, esse potest, præprimis ob complicationem finium, quam vix unquam salutaris febrium quarumcunque decursus subsequitur, quin potius eventus â Medici voto planè alienus accidit. Motus enim in illis, & maxime in nostrâ febre occurrentes, certo

respectu sibi contrariantur, typumque inconstantem & magis periculosum reddunt, ita ut neutri ex concurrentibus morbis exquisite statim satisfieri queat, quoniam sanguinis impulsus progressivus acceleratus, resolutorium & conquassatorium scopum intendens, qui ad febrem continuam alias requiritur, placidis atque successivis istis motibus se- & excretoriis, febri intermittenti propriis, maximè adversatur, morbumque simul graviorem efficit. Hinc etiam GENTILIS Hemitritæum omnem, optime, portitorem periculorum dixit, & GARIOPONTVS *in Libro suo Passionario*, ipsum potius divinâ quam humanâ manu curari pronunciavit, Deoque solo curam ejusdem relinquendam esse judicavit, quoniam febrem maxima ex parte lethalem exhibet. Confer. & HIPPOCR. *1. Epid. Sect. 3.*

§. XX.

Ast omnia hæc Medicum rationalem & cordatum minimè deterrere debent, quo minus ægrotantibus hisce suo adsistat auxilio & consilio; sæpius enim contingit præter mentem aliorum, ut tales pristinæ restituantur sanitati, & ab ejusmodi morbis perfectè sanentur, qui alioquin â doctissimis Medicis lethales judicantur. Hinc, quoniam insuper ad chronicorum magis quam acutorum morborum indolem accedit noster affectus, & secundum AVICENNAM sæpius ad septimum usque mensem protrahitur, Medico propterea majus deliberandi spatium relinquitur, ut necessaria non solum invenire, sed debitè quoque applicare valeat medicamenta. Caveat autem insimul, ne ullas perniciosо huic hosti concedat inducias, sicque gravioribus aliis morbis, presso pede ipsum insequentibus viam pandat, quoniam communiter, si tardius moveatur talis morbus, etiam tardius tandem finitur, atque viribus successivè exhaustis tandem in perfectos chronicos morbos, Hydropem nempe Phthisin aut Hecticam convertitur. vid. BAGLIV. *Prax. Med. L. 1. p. 55.* Quod si vero Erysipelas viscerum adsit, facile in gangrænam mutabitur.

§. XXI.

Similiter quoque cautè de *excretionibus* huic febri solenni-

nibus judicare & cautius ipsas tractare debet Medicus: *Diarrhœæ* enim & vomitus biliosi in principio morbi statim oborientes, Naturamque viribus jamjam destitutam offendentes, raró salutarem, sed certius lethalem præsagiunt eventum, tanto magis si nigricans & veluti corrupta apparuerit biliosa talis saburra, aut coctio nulla hactenus observata fuerit in urinâ, ita enim HIPPOCRATES noster *Sect. IV. Aphor. 22.* inquit: *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel infra vel supra exierit, lethale;* & *Lib. 1. Epidem.* aperte dicit: *Quando post morbi coctionem aliquid humorum vitiosorum excernitur, tunc corpus ex natura purgat: & propter hoc atra bilis, & alius omnis hujuscemodi humor, ubi signa coctionis in morbi processu apparueriut, bonam significat evacuationem; si vero aliter, sine signis coctionis, exitialis est casus.* E contra ubi vomitus & excretiones tales nigricantes subjectis illis etiam extra morbum evenerunt, ibi haud adeò periculosi, nedum plane lethales sunt: Quam plurimos enim spleneticos ex confluxu humoris melancholici á liene ad stomachum transeuntis, ejusmodi vomitu laborasse, & materiâ ad intestina divertente, per alvum illam copiosè dejecisse, & tamen curatos fuisse, testatur FORESTUS *l. c. Observ. 15. in Schol.* Sic quoque, si post atræ bilis excretionem multa etiam pituita evomatur, melius semper sperare licet, jubente ita HIPPOCRATE *Prædict. 32. Vomitio utilissima est, si pituita bile permixta fuerit: sincerior enim deterior; nigræ* namque dejectiones, carbonum non nisi colorem referentes, veramque simul corruptionem ostendentes, pessimi tantum sunt ominis, quod etiam de singultuosis, lipothymicis, syncopticis, & omnis generis convulsivis affectibus, huic febri supervenientibus, ipsiusque decursum salutarem planè invertentibus, eodem jure valet.

§. XXII.

Utut autem ab excretionibus hisce, inprimis præcocioribus, patientes parum vel nihil se levari sentiant, (quod equidem rarius evenire novimus,) tamen nullo modo per artem statim cohibendæ & restringendæ sunt: *Nemo enim Medicorum* (ut FORESTI verbis utar) *ubi copia vitiosorum humorum concitaverit, mox initio aut confertim ea, quæ efferuntur, cohibe-*

bibere aggreditur: inutilia enim cum sint, evacuatione indigent *Medicus autem,* Hippocrate & Galeno *auctore, Naturæ, quæ re ctè, non malè agit, æmulus esse debet, ac minister.* Hinc â præmaturè suppressis hisce excretionibus semper majus in Prognosi pertimescendum est periculum, quam ab excedentibus & sponte procedentibus, quippe quæ, si circa statum morbi & in ægrotantibus de cœtero adhuc robustis obtingant, haud raró salutarem introducere solent effectum, qui ê contra, deficiente excretione *feri,* præcipue per vias urinarias, si nimirum urina paucissima & valde limpida procedat, fere semper periculosus & lethalis erit. Denique quoad Prognosin ex urina desumendam notetur quod, si ea crassescat, cum antea splendida fuerit, rem saluti fore indicet, & quamprimum livor tingit vitrum, incipiens coctio significetur, & jam apparente sedimento, solutio morbi instet.

§. XXIII.

De reliquo, febrem hanc, ubi sub epidemicâ quâdam larvatione procedit, præprimis autem Pestis tempore occurrit, deterioris semper indolis esse, superius jam jam, ex observatione Benedicti Faventini & prælaudati Foresti, monuimus. Sic etiam subjecta evidentius cholerica & plethorica gravius semper affligit, sed simul etiam citius in ipsis decurrit, quam in pituitosis & melancholicis. Quodsi vero mitius tractetur, tunc post quintum vel sextum paroxysmum communiter in febrem tertianam intermittentem transit, atque sub ulteriori prudenti medicatione tandem perfecte remittit; nisi hæc forsitan nimiis ab sorbentibus, terrestribus aut planè adstringentibus medicamentis tractata fuerit, ubi perfacile in Hecticam perfectam degenerare solet; quemadmodum sub medicatione præposterâ calidâ, accedente inprimis perverso regimine, non raró in acutam impetuosam, aut inflammatoriam febrim, præcipue autem Phrenitidem & Paraphrenitidem, nec non febrem mesentericam, monente Baiglivio *Oper. Med. p. 642.* convertitur, atque tunc lethalem utplurimum eventum sortitur. Ex quibus omnibus nunc inter se collatis cir-

cum-

cumſtantiis evidentiſſimè apparet, HEMITRITÆVM *eſſe febrem quandam ex Tertiana intermittente & quotidiana continua compoſitam, paroxyſmos quolibet quidem die formantem, ſed de tertio ad tertium ſemper gravius, reduplicato etiam horrore, cum ſymptomatibus terrificis affligentem, nunc ab inteſtinorum tenuium ipſiusve ventriculi ſtatu eryſipelaceo, nunc à congeſta nimium circa primas vias cacochilia putri, productam.*

§. XXIV.

Reſtat nunc ut ad ipſam mali hujus ſontici therapiam accedamus, quæ quidem pro variante cauſa antecedente prudenter varianda, nempe ſub Inflammatione viſcerum eryſipelacea æſtus nimius vel præ caveatur, vel minimum ſupprimatur, id quod actutum V. S. ventilatoria, etiam repetita, ſi effervescentia S. cum vigiliis, delirio, aut Cephalalgia ferociat, præſtabit, ſuccedentibus poſt julapiis & victu humectantibus ſimulque Cardiacis, quibus aph. 16. S. 1. primas merito defert. Sub apparatu vero magno Cacochiliæ putris in meſenterio reliquisque primis viis, ſaburra bilioſo mucida leniter & ſucceſſive eliminetur per decoct. tamarindinat. c. fol. Sen. per enemata, fotusque emollientes blandeque ſtimulantes calide toti ventri impoſitos, ſedulo cavendo cuncta purgantia & diaphoretica M. S. nimis commoventia, quibus vehiculum humoris peccantis ſubducitur, poſtea ita lenteſcentis, ut pix fiat, adeoque in mortem præcipitet patientem, juxta *Aphor. 23. 24. S. IV.* Criſis namq; in hac febri per dejectionem non ſudationem, expectanda. Quibus ſic obſervatis, in progreſſu morbi, ad occurrentia; ſymptomata arcenda, tollendave, ſequentes inſervire poterunt indicationes. I. Ut materia bilioſo-mucoſa, typum talem febrilem non quidem exacte producens, ſed pertinaciter tantum ſuſtentans, debite præparetur, & ſpontanea ejusdem evacuatio convenienter adjuvetur. II. Ut ſymptomata febrilia urgentiora mitigentur. III. Primæ viæ hactenus valde debilitatæ iterum roborentur; & IV. Motus ipſi febriles, ob diuturnam continuationem forſitan habituales facti, prudenter cohibeantur & in priſtinum ſtatum naturalem redigantur.

 §. XXV.

§. XXV.

Primæ igitur *indicationi* obtinendæ favent inprimis remedia incidentia, abstergentia & resolventia, maxime autem ⊖ia media & digestiva cum paucis absorbentibus remiscenda, v. g. ℞. ♀i ⊕lat, Arcan. dupl. Cremor. ♀i ⊕i ♁iat. ana ℈ij. Ocul. canc. ppt. ʒß. M. F. Pulvis divid. in IX. p. æ. D. S. erweichende Pulver, davon gleich bey abnehmenden Frost, und sonst Abends, eins mit Bier zu nehmen. Similem effectum quoque exserunt vegetabilia, v. g. Radic. Angel. Levist., alb., Ari. Gent. r. Herbæ Capill. ♀is, Scord., C. B., Trifol. fibr., Agrimon., Ceterach, Absynth., Chamædr., Cent. min. &c. quæ vel in forma infusorum vinosorum, & theeformium, vel *Essentiæ* cujusdam, proxime ante paroxysmum commodissime ordinari possunt, ad hunc fere modum: ℞. Essent. Gent. r. Angel. Pimp. alb. ana ʒij. Essent. Trifol. fibr. C. B. Absynth. ana ʒiß. M. D. ad Vitr. S. Magen reinigende Mixtur, davon alle Morgen kurtz vor dem Paroxysmo 36. Tropfen in etwas Thee oder Fleisch-Brühe zu nehmen.

§. XXVI.

Alteri indicationi satisfieri potest per medicamenta partim excretiones intempestivas & nimias moderate refrænantia, partim etiam motus febriles orgasticos, aliosque anomalicos convenienter temperantia. *Prioribus* annumeramus stomachica omnia temperatiora, amara & roborantia, paucis tonicis vel ♂lialibus maritata; v. g. ℞. Ess. aromat. Wed. ʒij. ♌tus Menthæ essentif. Mastich. ana ℈j. Vitriol. ♂t. ʒß. M. D. ad V. S. Magen stärckende Essenz, davon nach überstandenen Frost, bey allzuheftigen Brechen, 40. Tropfen mit etwas warmen zu geben. Quibus vero hæc forma non arridet, illi Corticem Cascaril. pulverisatum prioribus pulveribus digestivis ad gr. v. prodosi commiscere & ita alternis horis propinare possunt. A theriacalibus vero, opiatis, aliisque generosioribus anodynis, typum febrilem magis confundentibus, sedulo abstinendum est. Ad *posteriorem* classem pertinent remedia temperan-

perantia, nitrosa, diluentia atque diapnoica, juxta diversam paroxysmorum constitutionem etiam diversimode combinanda & juxta methodum in quotidiana & tertiana intermittente alias consvetam, ordinanda: Compositas enim febres non solum compositis medicamentis, sed & secundum normam simplicium semper curare necesse est. Hinc initio paroysmi frigore urgente, non solum frictiones calidæ sedulo applicandæ, sed & alexipharmaca & resolventia moderatiora propinanda & singulis ternis horis repetenda sunt, quo scopo non solum *Mixtura* ista *stomachia* in præced. §. commendata, optime conducit, sed potest etiam alia, si lubet, præscribi, in hunc modum: ℞. Essent. Imperator. Levist. Angel. ana ʒiß. Pimp. alb. Scord. ana ʒj. M. D. ad Vitr. aut ℞. TRæ bezord. Mich. ʒiij. ♁tus bezoard. Buss. ʒiß. M. D. ad Vitr. S. Besondere Fieber-Essenz, davon so gleich bey verspührenden Frost 36. Tropfen mit Bier zu geben, und biß zum Anfang der Hitze alle 3. Stunden zu wiederholen. Ad moderandum vero æstum, restingvendam sitim, temperandam Cephalalgiam & reliqua symptomata mitiganda, conducunt inprimis pulveres cinnabarini cum ⊖e quodam digestivo remiscendi, & ad ℈j. singulis ternis horis exhibendi, ut & *potiones* ex ▽is diapnoicis & temperantibus, videl. C. B., Scrod. Scabios. Flor. Samb. Til., Ceras. nig., Plantag., parandæ & cum Syrupis acidiusculis, aut pauxillo ♃ii diaphoret. combinandæ & singulis horis ad 2. vel 3. cochlearia assumendæ; quibus crebrior iste medicamentorum usus nimium molestus videtur, illi ad minimum potui consveto (qui tenuior semper, nec nimium frigidus esse debet,) acidula immisceant, v. g. ♁tum ⊕i & ⊕li dulc., TRam flor. bellid. & Rosar. ⊕latas, Clyss. ♃ii, Succum Citri, aut loco hujus Infusum Thee, vel Herbæ Veron. non nimium saturatum & calidum, sæpius hauriant, sub continentia tranquilla, in quantum possibile est, se se servent, & remittente paroxysmo sudorem sponte provenientem cum regimine temperato diapnoico adjuvent, aut difficulter erumpentem per moderate resolventia & diaphoretica, inprimis autem per

dosin

dosin aliquam prioris Essentiæ antifebrilis, placidè pr
moveant.

§. XXVII.

Tertia postmodum *indicatio*, quæ non nisi in declin
tione morbi expedienda est, obtinetur per consueta st
machica, abstergentia, amara & ♂tialia correctiora aliaq
tonica, quo nomine non solum Essentiam stomachicam
§. XXVI. commendatam, sed & TRam ☉li ♂tis Ludo
TRam ♂tis cum succo pomor. MRam polychrestam Stal
Elix. P. P. aliaque roborantia, ter vel quater per diem
xxx. vel xl. gtt. exhibenda, aut Infusum quoddam vin
sum, ex Herbis capillaribus aliisque vegetabilibus resc
ventibus & amaris paratum, singulis diebus ad ℥ij. vel i
assumendum, suademus.

§. XXVIII.

Quartæ denique *indicationi*, in casu extremæ necessitatis, si præprin
materia peccans sufficienter evacuata sit, motus autem febriles longo usu & con
nuatione fere habituales appareant, & ultro pertinaciter perennent, satisfieri p
terit per anodyna correcta, v. g. Pilulas VVildegansianas & Starckeyanas gen
nas, vespertinis horis, ante novam exacerbationem assumendas, aut subadstri
gentia moderata, v. g. Crocum Martis teneriorem Sthalii, pulverem Febrif
gum Kergeri ex carbonibus fossibibus paratum, cujus mentio facta est *in Ann
Medico-Phys. VVratislav. Ao.* 1721. *M. Junio Class. IV. Artic.* 15. aut ipsum e
iam summum, sed simul anceps illud Febrifugum modernum, Corticem Ch
na Chinæ, ea inprimis formâ, quâ â Celeberr. HOFFMANNO *in Dissert. q
Praxin clinicam & compendiosam febrium, cum cautelis exhibet*, sub Tractatio
febris tertianæ commendatur, aliquoties assumendum.

§. XXXIX.

De reliquo *præservationis* gratia caveant sibi ejusmodi subjecta ab in
moderatioribus quibusvis animi & corporis commotionibus, abstineant â c
bis pingvioribus, mellitis, bilem & pituitam multam generantibus inprim
leguminosis, & ipsis piscibus: ê contra vero panem optime fermentatum, ca
nes hædinas, vitulinas, cuniculos & gallinas juniores, capones, perdices, avic
las montanas, elixas pariter & assatas, cremorem hordei, avenam & hordeu
excorticatum, una cum oleribus tenerioribus consvetis, in victu ordinario a
hibeant, V.Snes & scarificationes ordinarias temporibus æquinoctialibus, sedu
repetant, nec unquam negligant, alvum semper apertam servare studeant, a
interdum laxationes per epicrasin subjungant, vinique & veneris usum
moderatissimum, vitæ genus autem agile & laboriosum sibi
commendata habeant.

T A N T U M.